



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CXIX. Christus Crucifixus vitis vera, fructu suo lætificans, & confortans cor hominis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

CONSIDERATIO CXIX.

Christus Crucifixus vitis vera, fructu suo
lætificans, & confortans cor hominis.

*Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris. Eccli.
24. 23.*

1.

Jo. 15. 1.

Non sine peculiari causa ipsa Sapientia Patris & Verbum incarnatum se viti assimilavit: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris*; Et in novo testamento: *Ego sum vitis vera*: Supra quod egregiè Eminentissimus Cardinalis Toletus: *Viti*, inquit, *se Dominus comparat, ut per hanc passionem & crucem suam infirmaret*: Et Cornelius à Lapide: *Vitis*, ait, *fidelium omnium est Christus, ejusque passio*. Ad quod & arbores olim (non ligneus hic erat illarum conceptus) in comitiis suis collimarunt, dum inter sese statuerunt vitem in Regem suum eligere: *Veni & impera nobis*.

Judic. 9. 12.

2. Videamus nunc non incongruam Christum inter & vitem analogiam. Solet comprimis vitis non ut aliæ plantæ seminari, sed immediatè ab agricola terræ bene cultæ imponi, & ligone circumfodi, ex qua incrementum suum recipit, mirè crescit, atque dilatatur. Talis vitis, ait S. Bernhardus, Christus Salvator est, qui non virili semine plantatus, sed in terra illa benedicta ac Virginea ope Spiritus Sancti implantatus fuit; unde lemma huic mysticæ viti non inconcinne appones: *Pura Genesis*.

Jo. 11. 35.
Hebr. 5. 7.

3. Vitis tempore vernali cultro peracuto circumciditur, ubi amaras lacrymas ex accepto vulnere copiosè effundit; unde aliud lemma: *In lacrymis feracior*. En rursus perelegantem typum Christi Jesu in primo vitæ vere secundum legem Mosaicam cultro lapideo circumcissi, ubi non tantum sanguinem, sed & uberrimas lacrymas profudit: *Vagus Insans inter arcta conditus præsepia*; Et iterum ad sepulchrum amici sui Lazari: *Et lacrymatus est Jesus*. Item in cruce: *Qui in diebus carnis sua, preces supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia*.

4. Vi-

4. Vitis quò ad lignum quidem indecora, sed tamèn arbor longè fecundissima est, quæ ubertate & dulcedine fructuum cæteras terræ plantas & arbores longo intervallo antecellit; unde lemma illi applicabis: *Dulcorem non speciem*. Audi Isaiam de Christo crucifixo vaticinantem: *Non est species ei neque decor &c.* Sed hoc ipsissimum crucis lignum, *Isa. 53. 2.* licet indecorum habeatur, innumeros tamen gratiarum fructus profert, & hæcenus protulit, proinde rectè Ecclesia: *sylva talem nulla proferit, fronde, flore, germine.*

5. Vitis ulmo aut palo alligatur, ubi melius progerminat vinum, quod exinde in torculari expressum confortat & lætificat cor hominis, cui iterum pro lemmate adjicies: *Vertetur in gaudium*. Talis vitis est Christus Dominus palo & ulmo crucis alligatus, ubi copiosissimos dedit fructus, & in resurrectione sua omnibus versus est in gaudium.

6. Vitis quasi cum ulmo desponsatur, dum ulmus vitem sustentat & portat; Et e contra vitis foliis & fructibus abundans sterilem ulmum ornat, vestit, & inumbrat; hinc lemma: *Pro fulcro porrigo fructus*. Vitis ista Christus, ulmus verò crux est, cui hæc divina innixa, & quasi desponsata est vitis, ubi uterque & Christus cruci, & crux Christo sibi extitit honori, unde non incongruè pro lemmate inscribes: *Honori invicem*: Audi Christianum Poëtam, qui Christo crucem ad Calvariae montem bajulanti hoc disticon inscripsit:

*Alternis præstant sibi crux & Christus honorem,
Nunc feris Christe crucem; Te quoque Christe feret.*

7. Vitis odore suo gratissimo longè à se dispellit serpentes & venenata animalia; unde lemma: *Insesta infestis*. Christus crucifixus, tanquam vitis vera & summè odorifera, omnes Tartareos longè à se propulsat & effugit serpentes, qui ad solum crucifixi aspectum longè ab umbra illius discedunt, & in fugam aguntur.

8. Vitis denique post progenitos fructus emoritur, & quasi defuncta tumulo inferitur, ubi tempore veris de novo revirescere, & odoriferos grossos suos solet emittere; unde rectè pro epigrapha inscribes: *Renovata virebo*. Sic Christus Dominus, qui est vitis vera, ubi in cruce emortuus fuit & sepulchro illatus, tertia die gloriôsè reflorescere cœpit: *Restoruit caro mea &c.*

Psal. 27. 7.

Disce ex his, anime mi, naturam imitari vitis: *Ego*, ait Sapia, *quasi vitis fructificavi suavitatem odoris*, vitis enim dum floret, suavem ac gratissimum expirat odorem, & post flores nobilem præ cæteris producit fructum; Sic, inquam, & tu anime mi, ejusmodi vitis ac bonus odor Christi crucifixi esse studeas, ne aliquando id tibi contingat, quod

Pro-

Ezechiel. 15.
4.

Jo. 9. 4.
Jo. 15. 6.

S. Aug. Tract.
18. in Joan.

Laur. Chryf.
in Mundo
Mar. & alii.

Ecclesi. 24. 23.

Judic. 9. 13.

Jo. 8. 56.


Propheta sub symbolo infructuosæ vitis ingratis quondam Judæis proposuit: *Quid fieri*, inquit, *de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum?* Et responsum fuit: *Ecce igni datum est in escam.* Ecce aut fructum aut ignem; hoc tibi applica, & dum tempus affulget salutis, maturè in rem tuam vigila, quia *veniet nox, in qua nemo amplius poterit operari.* Tunc verificabitur illud Veritatis: *Si quis, inquit, in me, hoc est in vite vera, non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arefcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet;* Quam formidandam expendens sententiam S. Augustinus subjungit: *Ligna vitis, ait, rando sunt contemptibilia, si in vite non manserint, quanto gloriosiora, si manserint; qua præcisa nullis agricolarum assensu presunt, nullis fabrilibus operibus deputantur, unum de duobus palmite congruit, aut vitis, aut ignis; si in vite non est, in igne erit, ut ergo in igne non sit, in vite sit.* Proba ex te, o mi Lector, an in hac divina vite sis, alias væ tibi.

9. B. Bonifilius Fundator Ordinis Servitarum insignis per omnem vitam amator & cultor crucifixi Jesu ac Dolorosæ ejus Matris exiit, unde meruit, cui B. Virgo Angelorum cincta choris appareret, & senio sancto fesso, mortique proximo Angeli illud Ecclesiæ pro commendatione animæ accinerent: *Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini offerentes eam in conspectu Altissimi &c.* Hic, inquam, talis ac tantus vir in horto suo plantaverat vitem, quæ brevissimo temporis intervallo inusitato prodigio in altum excrevit, & longè latèque palmites suos extendit; Et quod non sine miraculo evenit, die 25. Martii, hoc est in festo Annuntiationis B. V. Mariæ (quo die quondam Christus in utero Virginis à Spiritu Sancto conceptus, & post 34. annos in cruce passus & mortuus est) non dumtaxat pulcherrimos flores, sed & uvam prægrandem, botrumque dulcissimum protulit, ad indicandum Christiano orbi, quoddammodo Jesus crucifixus & SS. Mater ejus Dolorosa fuerint præsignati per illam mysticam vitem, de qua Siracides:

10. Vitis, quia pretiosum ac generosum gignit liquorem, DEum lætificat & hominem, unde cum quondam à cæteris arboribus in Regem eligeretur, respondisse fertur: *Nunquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum & homines?* Vitis ista in sensu allegorico Christum præsignavit crucifixum, qui in cruento crucis sacrificio DEum lætificavit & homines, dum pretiosissimum vinum, sacrosanctum Sanguinem suum ad ultimam usque stillam ad redimendum non unum, sed infinitos mundos profudit: *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit, & gavisus est.* Cælum & omnes Angeli festum egerunt diem, ubi ovem perditam, genus humanum, viderunt per sanguinem opti-

optimi illius Pastoris recuperatam, drachmam amissam inventam, & filium prodigum (typum nostrum) ad frugem & salutem redeuntem, Luc. 15. 10. atque in Patris gratiam receptum &c. Sed & homines lætificavit, quia de supplicio damnationis aeternæ ereptos cœlo inferuit. O vitem felicem: *Veni, & impera nobis; non quærimus alium Regem nisi crucifixum.* Judæi quondam in propriam suam conclamarunt perniciem: *Sanguis ejus super nos & super filios nostros.* Nos Christiani sub alia ratione Matth. 27. 25. clamamus: *Sanguis ejus super nos,* non ad interitum, sed ad salutem & vitam sempiternam. Et si vinum est sanguis terræ, hoc est: Optima pars terræ, lætificans Deum & hominem; Plus Christus in cruce est, pars nimirum optima nostra, de qua Vates Regius: *Dominus pars hereditatis mea & calicis mei: tu es qui restitues hereditatem meam mihi;* Et in Psal. 15. 5. Psal. 72. 25. alio loco: *Quid enim mihi est in cœlo? Et à te quid volui super terram?*

Defecit caro mea & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in aeternum.



CONSIDERATIO CXX.

Christus à Judæis reprobatus & crucifixus, factus est totius Ecclesiæ lapis angularis in resurrectione.

Lapidem quem reproba-verunt adificantes, factus est in caput anguli. Psal. 117. 21.

I.

Mirabilem quondam visionem habuit Zacharias Propheta, qui cum nunc ageretur de reedificando templo Solymœo, à Chaldæis prius destructo, lapidem quemdam grandem, pretiosum, cælatum, ac septem oculis insignitum conspiciatus est, pro fundamento in illo magnificentissimo templo à Cyro collocandum: *Ecce lapis, quem dedi coram Jesu; Super lapidem unum septem oculi sunt, Ecce ego calabo sculpturam ejus, ait Dominus exercituum: Et auferam iniquitatem terræ illius in die una.* Alludebat in hoc Zacharias

Ginther Unus pro omnibus. LII charias